

Die Urkunden Karls des Großen, 315

Inestimabilis summe perfecteque trinitatis essentia cuncta iura regnorum disponente Carolus Romanus augustus imperatorum deferens sceptrum totius Europe. Per Amiternenses Valvensesque partes in locum Septifonte dictum cum expeditione innumerabili veniens ibique fessi requievimus, post corporeos apparatus dormitum ivimus. Mens diversis curis egra ac sollicita, licet caro quiescat, inestimanda cogitando videt et videndo cogitat. Media iam fere nocte quidam peregrinus per omnia pulcherrimus mihi dormienti apparuit totum me illuminans, velut visibilis ac materialis sol splendore totum illuminat mundum, qui mihi talia verba profatur: ‘Tu potens quasi in gloria requiescis nec curam mei michique fidelium ac memoriam producis’. Tali visione tremefactus surrexi sedens et cogitans, quid hoc esse possit. Iterum sopore captus perterritus quievi. Mox quedam arbor, de qua septem fontes videbantur procedere mundum totum irrigantes, supra me visa est assistere. Inter hec diurna lux crepusculum dabat et cura et visione et sopore mihi depresso peregrinus perspicuissime lucis lampade plenus deo ab inferis redeunti duobusque discipulis in fractione panis cognito preclaro vultu similis hec verba edidit: ‘O Carule mihi in facienda iustitia non modice carus surgere, festina; ad locum quendam hic prope Peregrini corpus invenis, cuius animam inter caelestes choros pro merito cognoscas valde gaudentem, quapropter beneficia ac miracula prestantur corpori illius, qui, dum vixit, satis extitit deo fidelis’. Ilico aepiscopos ac religiosos clericos vocari precepi eisque omnia, quae mihi noctu ostensa sunt, ex ordine demonstrans tandem ad locum corporis Peregrini devenimus, statim indigenas ac incolas illius regionis percontari cepimus de vita et gesta illius Peregrini eius sanctitate ac miraculis cognitis. Consilio omnium indigenarum ac advenarum ibi astantium aecclesia corpori pauperis ad presens fabricatur, cui quingentos etiam modios terre cubitali mensura undique in circuitu consensu ducum ac principum omniumque equitum nec non hominum iuxta habitantium dotem firmiter iussi concedi. His ita iuste et pie peractis ad monasterium beati Vincentii prope Vulturnum positum cum mihi privatis perrexiimus, illic triduo ad orationem fratrum religiosissimorum fere quingentorum et proficuum aecclesie eorum permansimus. A quibus probe et honeste percontatus de fama et dote beati Peregrini congruo ac pacifico sermone respondi. Perspicui ac religiosi monachi unanimiter terram datam Peregrino dixerunt omnino esse beati Vincentii. Tunc monitu omnium monachorum ac proborum hominum cartulam de predicta dote nominate aecclesie pretitulari precepi omnibusque videntibus super altare venerabilis Vincentii manu mea propria posui penamque ducentarum auri librarum auferenti voce omnium affirmantium eam indixi. Precepta quoque omnia legali habita vel habenda in eadem aecclesia et regibus et ducibus aliisque sublimibus potestatibus tam clericali quam laycali ordine volumus confirmari ac roborari, quippe conventus tantorum sanctorum virorum ut ecclesie sanctissimi Vincentii a nemine laycorum iudicetur conturbari vel eorum bona minui. Et in hoc si quis lesor inventus fuerit, primo sua sponte emendet; si tardaverit, duplicet emendationem; si ex toto renuerit, nostro iudicio aliorumque regum Christi aecclesiam defendantium capitalem sibi sumat sententiam. Et haec omnia primitus ad honorem et gloriam omnipotentis dei eiusque omnium fidelium, cuius iure et velle omnia consistunt atque reguntur, amore quoque et commemoratione nostri magistri ac rethoris nec non oratoris domni Authpertii, venerandi abbatis beati Vincentii, nostri posteri cognoscant esse peracta, quisque lector huius membrane semper in ea nostrum cognoscat sigillum.